Horatius quid de Pindaro iudicaverit et quomodo carmina eius suum in usum converterit.

Scripsit

P. Rummel.

Wissenschaftliche Beilage

zum

neununddreissigsten Jahresbericht

des

Königlichen Realgymnasiums

zu

Rawitsch.

1892. Programm Nr. 170.

Rawitsch.
Druck von R. F. Frank.
1892.

Omnis fere poesis Romanae fons atque origo a Graecis repetenda est, et vix ullum praeter Romanos populum invenies, qui, quam in excolendis bonis litteris laudem meruit, maximam partem imitationi acceptam referat. Quod cum certissimum sit, nihil est, cur uberius exponamus. Constat enim, ex quo Graecorum notitiam contraxerant Romani, veteres horum poetas ad tota atque integra Graecorum opera imitanda prorsus sese composuisse, quorum materiis temere ac sine ulla arte aut ratione utebantur, sive propter ingenii egestatem Graecis exemplis inhaerentes verbum verbo reddebant, sive nimis religiosi ab eo, quem imitandum sibi proposuerant, ne transversum quidem unguem sibi discedendum esse existimabant. Ab his viris toto caelo diversi erant Augusteae aetatis poetae. Tum nova lux poesi allata est, et ex imitantibus facti sunt imitatores, qui, ut Senecae verbis utar, non surripiendi causa, sed palam imitandi hoc animo, ut vellent agnosci, in multis versibus Graecos expresserunt. Atque horum poetarum, qui Augusto principe litterarum laude floruerunt, Graecos imitandi studium ac ratio ea fuit, ut, cum diligenti eorum operum lectione iudicium suum acuissent animumque excoluissent, etsi res ac verba et certum singulorum carminum habitum ornatumque saepissime de Graecis mutuarentur, tamen Graecos colores quasi gemmas suis cogitationibus et argumentis domesticis tanta felicitate tantoque artificio intexerent, ut, quae aliunde sumpta essent, mutata facie non iam pro alienis, sed pro domesticis et propriis haberentur ac probarentur. Summa quoque laus iis tribuenda est, quod linguam suam perpolitam et ad mobilitatem elegantiamque Graecorum formatam novis et exquisitioris sermonis opibus locupletarunt et ad summam perfectionem adduxerunt. Cuius docti artificiosique studii et sollertis imitationis in poesi lyrica palma debetur Horatio. Is enim a puero liberalibus artibus innutritus, cum antiquam poesim Latinam Graecorum praestantia plane obscurari et nisi ex artissima cum poesi Graeca coniunctione ullum fructum in eam redundare non posse perspexisset, singularem in eo posuit curam, ut poesim patriam ex humili loco liberaret, lyrici carminis indolem mutaret, novi generis quasi signifer quidam fieret. Ut taceam, quanta arte patrium sermonem limaverit atque ad Graecae poesis naturam inflectendo informandoque exornaverit quantumque ad poesim Romanam novis rhythmis ditandam contulerit, carmina eius tantam spirant venustatem tantaque splendent elegantia, ut Graecas Camenas domicilium in iis collocasse putaveris. Iam si quaesiveris, quibusnam potissimum causis ad eam praestantiam pervenerit, gloriam, quam consecutus est, haud minimam partem Graecae imitationi eum debere invenies. Quam vero imitandi rationem secutus sit, ipse multis locis exponit. Atque ut pauca de poetae consilio ac delectu praeludamus, hoc liceat commemorare, quod rectissime intellexit Garcke (Q. Horatii Flacci carminum librum I collatione scriptorum Graecorum illustravit H. G. Halle 1860), non esse consuetudinis Horatianae integra Graecorum carmina imitatione exprimere et eadem sententiarum serie, nedum iisdem verbis, Latine reddere, sed exordia tantum carminum et principales sententias atque multiplicem illum ac varium orationis ornatum a Graecis auctoribus repetere eum solere, et ita quidem, ut saepenumero mente potius quam oculis cernatur, insignem quandam Graeci scriptoris sententiam ab Horatio arreptam et pertractatam esse, ut in verbis quidem nulla fere similitudo appareat; si tamen inventionem et totam artem paullo accuratius inspexeris, non possis dubitare, quin eam Graecorum studio debeat. Improbanda vero est eorum sententia, qui, si benigna fortuna omnia antiquitatis monumenta nobis reliqua fecisset, perpauca putant fore ut apud Horatium restent, quae non e Graeco fonte fluxerint. Vehementer enim

cavendum est, ne, ubicunque cum Graeci alicuius sententia Horatii conspirantem deprehendus, hunc ante oculos illum habuisse illico coniicias, neve Horatium tam tardi ingenii tamque indocilem fuisse ducas, ut nisi diversissimis argumentis, sententiis, formis undique congerendis et miscendis carmina componere non posset. Immo vero qua erat subtilitate et mentis acumine, cum assidua praestantissimorum poetarum Graecorum operum lectione penitus sese in eorum familiaritatem dedisset, e fonte alieno multa quidem derivavit, sed ita iis usus est, ut omnes ex se exprompsisse virtutes videretur.

Quoniam Horatii imitandi rationem extremis lineamentis adumbravimus, nunc ad rem propositam ipsam propius accedamus, praemissis tamen paucis de carminum Pindaricorum historia. Qua in re commemorasse satis erit, Pindari, lyricorum principis, apud Graecos memoriam fere nunquam intercidisse, sed eius carmina lectitata et in omnium eruditorum hominum ore fuisse. Nam mentionem eius apud scriptores Graecos, ut apud Platonem, Aristotelem, Dionysium Halicarnassensem, Strabonem, Philonem Iudaeum, Plutarchum, Dionem Chrysostomum, Pausaniam, Aelium Aristidem, Lucianum, Athenaeum, Clementem Alexandrinum, Libanium, Stobaeum aliosque multos non solum fieri, sed etiam verba per eorum opera dispersa videmus. Quo vero tempore Pindari notitia apud Romanos percrebuerit, difficillimum est extricare. Ante Ciceronis quidem tempora nullum eius inveni vestigium; apud hunc autem nonnulli occurrunt loci, quibus Pindarum ei notum fuisse in propatulo est. In libro enim, quem scripsit de finibus bonorum et malorum (II, 34, 115) haecce legimus: „Sed quaero, num existimes, non dico Homerum, Archilochum, Pindarum, sed Phidiam, Polyclitum, Zeuxin ad voluptatem artes suas direxisse?“ et in epistulis ad Atticum scriptis verba ipsa exstant e Pindaro petita. Ac primus quidem locus est in epistula ad Atticum data (XII, 5): „Fac non ad διψῶσαν κρήνην, sed ad Πειρήνην eum venisse; sed ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφεοῦ in te, ut scribis, haurire in tantis suis praesertim angustiis“ etc, ubi verba ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφεοῦ ex Pindari Nem. I, 1 desumpta sunt. Alter locus invenitur in epistula ad eundem scripta (XIII, 38): „Nunc me iuva, mi Attice, consilio, πότερον δίκας τεῖχος ὕψιον, id est utrum aperte hominem asperner et respuam, ἢ σκολιᾶς ἀπάτας; ut enim Pindaro, sic δίχα μοι νόος ἀτρέκειαν εἰπεῖν (cfr. Bergk, Pindari carm. p. 451 sqq. et Plat. de republica II, 365 B, qui eadem e carmine deperdito verba affert). Tertius locus continetur Orat. I, 4: „Nam in poetis non Homero soli locus est, ut de Graecis loquar, aut Archilocho aut Sophocli aut Pindaro, sed horum vel secundis vel etiam infra secundos.“ Apparet igitur, Ciceronem Pindari notitiam habuisse. Neque dubitabis, quin non tum demum, sed iam antea poeta Thebanus apud Romanos innotuerit; quo vero tempore innotuerit, in tanto scriptorum silentio perdifficilis est ac paene inexplicabilis quaestio. Quamquam non ita multum a vero abhorrere puto, per Didymum Chalcenterum, quem ἐξήγησιν Πινδαρικὴν composuisse a Lactantio (Div. Inst. I, 22) traditum est quemque Ciceronis aetate Romae vixisse ibique scholas habuisse scimus (cfr. Suidae lexicon s. v. Δίδυμος et M. Schmidt, Didymi Chalcenteri reliquiae p. 2 sq.), Pindari carmina Romam si non translata, at propagata atque pervulgata esse. Utut est, postea cum poesis lyrica Romae excoli coepta esset et laetiora caperet incrementa, poetas quosdam, Horatii aequales, Pindarum imitandum sibi proposuisse, tametsi nulla ad nos pervenerunt eorum opera, iure colligere possumus ex Ovidii epistula ex Ponto IV, 16, 28:

Et qui Maeoniam Phaeacida vertit, et una
Pindaricae fidicen tu quoque, Rufe, lyrae;

et ex Horatii epist. lib. I, 3, 9 sqq:

Quid Titius Romana brevi venturus in ora,
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus et rivos ausus apertos?

Quinam illi fuerint, viri docti inter se dissentiunt. Alii Rufum ab Ovidio commemoratum eundem fuisse putant atque C. Valgium Rufum, a. 741 consulem suffectum (cfr. Weichert, de

C. Valgio Rufo poeta), ad quem scriptum est Horatii carm. II, 9; alii Antonium Rufum fuisse censent, qui Acrone teste (ad A. P. 288) praetextas et togatas scripsit, neque diversum eum esse. opinantur a grammatico eodem nomine appellato (cfr. Quintil. I, 5, 43; Vel. Long. de orthogr p. 2237; Peerlkamp ad Horat. IV, 2, 26). Etiam de Titio ambigitur. Etenim quae scholiastae ad Horat. epist. I, 39 adnotant (Acron: Deridet Titium poetam, qui Pindarum Graecum, ... , in Latinum sermonem conatus est transferre. Nam tragoedias et lyrica carmina scribere coepit temporibus Augusti, sed libri eius nullius momenti erant. Porphyrion: Titius poeta hic voluit Pindarum sermone latino vertere . . . . . Scholiasta Cruquianus: Titius Septimius lyrica carmina et tragoedias scripsit Augusti tempore, sed libri eius nulli exstant. Huius autem insigne monumentum est infra Ariciam), ex iis de nomiue ac persona poetae illius certi quidquam vix conficitur. Longum est neque huius loci diversas virorum doctorum in medium proferre sententias, e quibus nihil aliud eruas, nisi quod Titius ille, Tiberii in expeditione contra Armenios suscepta comes, et Horatii familiaris fuit et in Pindaro sive imitando sive aemulando periculum fecit. In eodem numero habent Iulum Antonium, M. Antonii triumviri filium, cui inscriptum est Horatii libri IV carmen II, ipso huius carminis argumento nisi, quo Iulum Antonium Horatium esse exhortatum verisimile iis videtur, ut Augusti, postquam Germanis devictis (a. 738) e Gallia Romam rediit, laudes Pindarica ratione celebraret, Horatium autem ingenii sui imbecillitatem excusantem hoc munus Antonio ipsi ut tanto conatui prae ceteris pari — heroico metro Diomedeam duodecim libris eum scripsisse Acron tradit — demandasse. Quam sententiam cum alii tum Reifferscheid impugnat. Idem omnino non probabile esse ratus, duos eadem aetate poetas Romanos singulari prorsus studio cum Pindaro certasse, Titium illum Horatii eundem atque Rufum Ovidii fuisse Pindaricaeque fidicinem lyrae Titium Rufum nominatum esse coniicit (cfr. Coniectanea nova indici schol. Vratisl. 1880 praemissa p. 6 sqq.).

Sed ne in tam lubrica tamque salebrosa re diutius commoremur, iam ad Horatium ipsum transeamus, quem in Pindari operibus tractandis multum versatum esse cum libri IV carmine II tum reliquis luculentissime comprobatur. Atque quia nobis propositum est inquirere, Horatius quid de Pindaro iudicaverit et quomodo eius carmina suum in usum converterit, quaestionem ita instituemus, primum ut Horatii de Pindaro iudicium paullo accuratius enarremus, deinde quid ab illo acceperit acceptumque quomodo in carmina sua transtulerit persequamur.

Iam primam disputationis nostrae partem aggrediamur, in qua tractanda maxime iuvamur libri IV carmine II. Ibi enim Horatius Pindari ingenium ac facultatem poeticam praestantissime describit, carminum indolem argumentumque non solum designat, sed etiam accuratissime percenset, poetam Thebanum tantis laudibus effert, quantis neminem alium. Negat quemquam Pindarum aemulari posse; tantopere illum in quolibet poesis genere ceteris praestare poetis, ut, si quis audacior esse velit et sublimior, summum periculum sit, ne Icari sortem experiatur:

Pindarum quisquis studet aemulari,
Iule, ceratis ope Daedalea
Nititur pennis vitreo daturus
Nomina ponto.

Deinde copiosum Pindari verborum ornatum, sonoram numerosamque dictionem, miram sententiarum gravitatem ac magnificentiam, qua singula argumenta per se interdum sterilia variat, cum amne comparat super ripas effuso:

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet immensusque ruit profundo
Pindarus ore.

Neque tamen se continet poeta in tanta virtutum laudatione, sed postquam praeclarissima, Pindaricae camenae genera notavit, ut suam imbecillitatem, excelsum illius animi cursum collustret

praestantiam huius etiam verbosius extollit, assumpta oloris in altum evolantis et ingenti pennarum ictu sursum lati exquisita imagine:

Multa Dircaeum levat aura cycnum,
Tendit, Antoni, quotiens in altos
Nubium tractus.

Contra se ipsum, ut quantopere illo inferior sit appareat, cum parva ape per singulos flores volanti et sucum ex iis sedulo legenti Horatius permodeste contendit. Veluti eam laboriose hinc illinc mel legere, ita sibi summa contentione opus esse ac diligentia ad carmina pangenda; Pindarum vero ex se ipso quasi e vivo quodam et perenni fonte haurire:

Ego apis Matinae
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circa nemus uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
Carmina fingo.

Itaque Pindarum in omni fere poesis genere summa laude dignum et tamquam victorem in certamine laurea donandum esse praedicat. Venusinum vero poetam et illius ingenium optime perspexisse et mente ac cogitatione in opera eius penetrasse ex eo intellegitur, quod carminum praestantissimorum argumenta indolemque inde a. versu 9. usque ad versum 24. accuratissime describit. Atque cum dicit:

Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit numerisque fertur
Lege solutis,

dithyramborum naturam paucis feliciter complectitur rectissimeque adumbrat. Nam hoc poesis genus ad Bacchi honorem excultum et variis animi motibus accommodatum concitatius verbisque sive significatione sive compositione novis insigne fuit neque certa numerorum, metrorum, versuum repetitione coercitum, sed, ut ait Cicero (de orat. III, 48), licentior et divitior fluxit dithyrambus, cuius membra et pedes sunt in omni locupleti oratione diffusa (cfr. Aristot. Poet. 22, 14: τῶν δὲ ὀνομάτων τὰ μὲν διπλᾶ μάλιστα ἁρμόττει τοῖς διθυράμβοις).

A dithyrambis Horatius ad paeanes, quibus carminibus deis laudes gratesque agebantur, atque hymnos ad heroum praedicationem factos transit et horum carminum argumenta breviter perstringit, Pelei, Thesei, Pirithoi in Centaurorum caede virtutem et Bellerophontis, qui Chimaeram occidit, fabulam significans:

Seu deos regesve canit, deorum
Sanguinem, per quos cecidere iusta
Morte Centauri, cecidit tremendae
Flamma Chimaerae.

Tum commemorantur carmina epinicia eorumque celeberrima Olympica, quae ipse Pindarus ceteris longe praestare dicit (Ol. I, 1 sqq.):

Sive quos Elea domum reducit
Palma caelestes pugilemve equumve
Dicit et centum potiore signis
Munere donat.

E generibus autem certaminis, postquam de divino victorum honore universe locutus est, victorias et pugilatione et equo partas Horatius affert Pindarique musam summis extollit laudibus, quippe qua tamquam aeterna victores magis nobilitentur quam vel centum statuis.

Postremo describuntur threni, quos cantus lugubres constat cantatos esse, cum defuncto inferiae fierent et epulum funebre ageretur:

Flebili sponsae iuvenemve raptum
Plorat et vires animumque moresque
Aureos educit in astra nigroque
Invidet Orco.

Vehementer sane dolendum est, quod praeter tenues horum egregiorum, quibus tantam laudem tribuit Horatius, carminum reliquias nihil aetatem tulit quodque ipsi iudicium de iis facere non possumus. Neque tamen quin poeta noster, ut erat acerrimus perspicacissimusque alienorum carminum aestimator, recte de threnis iudicaverit dubitabimus. Horatio hoc loco certum quoddam idque maxime egregium carmen ante oculos obversatum esse, ingeniose Welcker in Mus. Rhen. II, 121 coniicit. Sed utcunque est, Horatium iterum singularem Pindari poesis vim praedicantem videmus; ea fieri ut iuvenis, quem celebret, memoria propter eximias animi corporisque dotes oblivioni eripiatur et ad immortalitatem consecretur.

Ob tantas igitur virtutes Horatius Pindaro palmam inter poetas lyricos defert eumque agmen ducentem facit (cfr. carm. IV, 9, 5 sqq.):

Non si priores Maeonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricae latent
Ceaeque et Alcaei minaces
Stesichorique graves Camenae:

et superiorem eum putat, quam quem aemulando quis consequi possit. Eadem de causa castigari Titium credunt ab Horatio (epist. I, 3, 9 sqq), quod nimia confidentia et audacia ductus Pindarici fontis non expalluerit haustus. Consentit Quintilianus quoque cum Horatio in aestimanda ingenii animique excellentia Pindari; nam novem lyricorum, ait (X, 1, 61), longe Pindarus princeps spiritus magnificentia, sententiis, figuris, beatissima rerum verborumque copia et velut quodam eloquentiae flumine: propter quae Horatius eum merito credidit nemini imitabilem.

Haec habui, quae de prima quaestionis meae parte proferrem. Sequitur ut, qua ratione Horatius Pindari carmina suum in usum converterit, explicatius declarem. Nam qui paullo accuratius in Horatii carminibus versatus erit, eum non fugerit, illum, tametsi ab imitandis carminum Pindaricorum formis ac metris abstineret, rationem habens et suarum virium et indolis totius linguae poesisque Romanae, tamen non solum locutiones quasdam et epitheta a Thebano vate repetivisse, sed etiam exordia argumentaque desumpsisse et sententiis, similitudinibus, imaginibus ab hoc petitis carmina sua distinxisse. Accedit quod mythorum quoque atque antiquae historiae copiam magnam partem ei debet aliaque artificia, ut fabularum lyrica compositione tractationem, ab eo didicit. Quod quo melius perspiciatur, ad comparationem illorum poetarum vertamur.

Atque primo quidem loco qua causa ductus Horatius carminum nonnullorum exordium aut sententiam summam ex alieno fonte repetivisse videatur consideremus. Quod neque propter languorem neque propter ingenii imbecillitatem fecisse putandus est, sed ubi re aliqua vehementius commotus insignem quandam cogitationem mente comprehendit, quam arte elaboraret et carmine exprimeret atque effingeret, ut legentium animos oblectaret et carminis ipsius gravitatem augeret, quae ab aliis excogitata sunt, in carmina sua transtulit, sed pro suo consilio immutavit et exornavit. Neque perverse iudicare eos puto, qui Horatium in hac ipsa re Pindarum secutum esse censeant ita praecipientem (Ol. VI, 1 sqq.):

Χρυσέας ὑποστάσαντες εὐτειχεῖ προθύρῳ θαλάμου
κίονας, ὡς ὅτε θαητὸν μέγαρον,
πάξομεν· ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον
χρὴ θέμεν τηλαυγές.

Consilium vero poetae nulla re clarius cognoscas quam carminibus, quorum hic ratio habenda est, paullo accuratius perlustrandis. Quem in numerum referenda sunt carminum I, 1; I, 12; I, 31; I, 35; III, 30; nam carminis, quod Arnold praeter ea attulit (carm. II, 20), argumento cum loco Pindari (Nem. VI, 47) eam intercedere necessitudinem non intellego, ut huius sententia fundamentum illius credatur fuisse. Hoc igitur omisso iam ad cetera nos convertamus, quae in duo dividuntur genera, quorum alterum sic est comparatum, ut exordio ad Pindari exemplum instituto verba aliena dispositionem tantummodo, non argumentum carminis indicent, alterum eiusmodi est, ut sententia quaedam a Pindaro expressa recipiatur quidem ab Horatio et carminis fundamentum sit, sed ad ingenium Romanum accommodetur et pro poetae consilio illustretur. Ac primum ea carmina diiudicabimus, quorum argumento Pindari sententiam quandam subesse diximus. Huc autem pertinent carminum I, 1; I, 31; I, 35; III, 30. In primo horum carminum Horatius diversa hominum studia paucis percurrens et tribus quasi quibusdam tabulis proponens alios laudem publicam sectari vel victoriis in ludis publicis reportandis vel aura populari captanda et republica administranda dicit cum iisque coniungit homines opibus coacervandis inservientes; alios aut agris subigendis colendisque operam dare aut quaestus cupidos per mare navigare; alios denique vitam mollem et iucundam degere naturae amoenitatibus fruentes, alios e bellis et venationibus voluptatem capere. Se ipsum vero poesim adamasse et poetae laudem appetere. Horatii animo in hoc carmine componendo Pindari locum persimilem obversatum esse iam Bentleius rectissime intellexit, fragmentum a Sexto Empirico (Pyrrh. Hypoth. I, 20 ed. Bekker) traditum comparans (cfr. Fragm. 221 Bgk):

'Αελλοπόδων μέν τιν' εὐφραίνοισιν ἵππων
τίμια καὶ στέφανοι, τοὺς δ' ἐν πολυχρύσοις θαλάμοις βιοτά·
τέρπεται δὲ καί τις ἔπι (φρασὶν) οἶδμ' ἐνάλιον
ναΐ θοᾷ σῶς διαστείβων.

Utriusque poetae sententias si inter se contenderimus, quin Horatius a Pindaro pendeat non dubitabimus. Praeterea quam in arcessendis et tractandis aliorum inventis secutus sit rationem, vel tam parvo fragmento elucet. Etenim tantum abest, ut exempli sui vestigia servilem in modum premat verbisque inhaereat, ut totam formam mutet argumentumque diffingat et coloribus Romanis commisceat, sed non ita immutet, ut peritos lectores origo praetereat. Itaque in illo quoque carmine imagines quibus sententias exornet, e Romanorum vita sumptas videmus, excepta, ut videtur, una, de qua disceptari potest et viri docti in diversas discedunt partes. Nam cum Horatius dicit:

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse iuvat,

alii poetae nostri temporibus nobiles Romanos Olympiae quadrigis de praemio certasse, alii imitationem ludorum Olympicorum ab Augusto Romae institutam esse putant; neque desunt, qui, cum etiamtum a Graecis opulentis et Asiae minoris regulis Graecae stirpis celebrarentur Olympia, facile fieri potuisse arbitrentur, ut poeta ipse illos Graecorum ludos aliquando spectaret (cfr. A. Doering, Philol. 33, p. 716 et Orelli, Horat. carm. I, p. 2). Neque tamen his opinionibus adstipulor, sed cum Doeringio facere malim, qui Horatium Graecum fontem non adeo occultavisse censet, ut is doctos lectores fugeret, aut potius Horatium victorias a Pindaro celebratas respexisse existimo.

Eadem fere condicio est ceterorum carminum (I, 31; I, 35; III, 30), quae, quamquam argumenta eorum ad sententias quasdam Pindari referenda esse verisimile est, tamen ita sunt composita, ut tenuia solum vestigia originis supersint. Nam inter libri I carminis 31 quo quid multitudo, quid ipse petat Horatius fusius exponit, argumentum et Pindari locum (Nem. VIII, 37 sqq):

Χρυσὸν εὔχονται, πεδίον δ' ἕτεροι
ἀπέραντον· ἐγὼ δ' ἀστοῖς ἁδὼν καγ χθονὶ γυῖα καλύψαιμ',
αἰνέων αἰνητά, μομφὰν δ' ἐπισπείρων ἀλιτροῖς,

(cfr. etiam Nem. I, 31) praeter consilii et sententiae summae similitudinem nullam invenimus; sed Horatius illud Pindari nude positum amplificavit et Latina, ut ita dicam, veste induit. Nostrum vero poetam illud carmen epinicium bene cognitum habuisse eiusque animo Pindari verba in carmine conscribendo obversata esse vel idcirco crediderim, quod sententiam, quae subsequitur (Nem. VIII, 41 sq.), in libri I carmine 12. usurpavit.

Etiam in libri I carmine 35. Horatius Pindarum auctorem secutus esse et extrema Fortunae imaginis lineamenta ex eo videtur delibasse. Qua enim potestate Pindarus in carmine Olympico XII, 1 sqq. Τύχην instructam praedicat qualemque adumbrat, talem apud Horatium eam agnosci nemo negabit, additis scilicet nonnullis notis aut poetae ipsius cogitatione depictis aut ex Antiatium religione ascitis. Secundum illum igitur Horatius Fortunam dominam aequoris appellat, cui omnes nautae supplicent, eique imperium attribuit in populos, civitates, homines, qui metuant, ne rerum publicarum statum labefactet et evertat aut bella concitet (cfr. l. c. vers. 3. sq.: τὶν γὰρ ἐν πόντῳ κυβερνῶνται θοαὶ — νᾶες, ἐν χέρσῳ τε λαιψηροὶ πόλεμοι — κἀγοραὶ βουλαφόροι. Etiam φερέπολιν, urbium tutelam, Pindarus Τύχην nominavit teste Pausania IV, 30, 6; cfr. frgm. 39, Bgk 382). Deinde veluti Pindarus res atque exspectationes hominum in potestate Fortunae esse et navium instar sursum deorsum volvi dicit (αἵ γε μὲν ἀνδρῶν — πόλλ' ἄνω, τὰ δ' αὖ κάτω ψεύδη μεταμώνια τάμνοισαι κυλίνδοντ' ἐλπίδες), ita Horatius deae illius homines et ad summum felicitatis gradum evehendi et de eo deiiciendi facultatem praedicat. Neque sine veritatis specie opinari nobis videmur, poetam nostrum, quod saevam Necessitatem Fortunae anteeuntem facit, in hoc quoque exempli sui opinionem amplexum esse, ex qua Fortuna in Parcarum numero ducebatur (Paus. VII, 26, 8: ἐγὼ μὲν οὖν Πινδάρου τά τε ἄλλα πείθομαι τῇ ᾠδῇ, καὶ Μοιρῶν τε εἶναι μίαν τὴν Τύχην καὶ ὑπὲρ τὰς ἀδελφάς τι ἰσχύειν; cfr. frgm. 41, Bgk. p. 382). Praeter haec hymni formam Horatius Pindaro acceptam videtur referre.

His tribus carminibus, quae modo attigimus, quartum adiungimus libri III carmen 30., quo Horatius, immortalitatem nominis sui carminibus partam celebrans, perfecisse se ait firmius monumentum, quam quod imbres aut venti aut tempus delere possint. Eandem vim carminibus Pindarus tribuit in carmine Pythio sexto, quod ad honorem Xenocratis Agrigentini composuit. Conditum esse ei et genti et patriae in sacro Apollinis saltu hymnorum θησαυρὸν

τὸν οὔτε χειμέριος ὄμβρος ἐπακτὸς ἐλθών,
ἐριβρόμου νεφέλας
στρατὸς ἀμείλιχος, οὔτ' ἄνεμος ἐς μυχοὺς
ἁλὸς ἄξοισι, παμφόρῳ χεράδι
κρυπτόμενον.

Ea verba fontem fuisse, e quo Horatius hauserit, sine ulla dubitatione confirmaverim.

Restat ut paucis disseram de libri I carmine 12., Pindarica sane sublimitate et gravitate composito, cuius indoles mihi quidem plane diversa videtur esse ab eorum carminum, quae supra tractavi. Nam in illis primaria sententia e Pindaro translata carminis argumentum comprehendit et ita comparata est, ut in ea diffingenda, amplificanda, exornanda totum carmen versetur; in hoc vero non argumentum alienae originis est, sed exordium tantum, ex quo dispositio carminis apta est, ad insigne Graecum exemplar conformatum. Initium igitur carminis ad Pindarum (Ol. II, 1—2) iisdem fere verbis, sed permutato personarum ordine (de qua re cfr. Dissen in explic. ad Ol. II; Boeckh ad h. l., Luc. Mueller, De re metrica poet. lat. p. 278 sq) effinxisse Horatium nemo non videt:

Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι,
τίνα θεόν, τίν' ἥρωα, τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν;

Secundum hoc exordium poeta noster, partitione restricte observata, a Iove eiusque liberis praedi. candis initium facit, deinde ad heroes transit, postremo principes ducesque Romanorum claros

summumque inter eos Augustum celebrat et gravissimas pro huius salute futura preces addit. Quem carminis Horatiani cursum si contulerimus cum carminis Pindarici cursu, utrumque poetam diversa via progredi intellegemus. Pindarus enim exordio facto, postquam pro more suo Iovem ut patronum Pisae et Herculem sacrificii Olympici sollemnis auctorem strictim commemoravit (v. 3, 4. ἤτοι Πίσα μὲν Διός, 'Ολυμπιάδα δ' ἔστασεν Ηραχλέης — ἀχρόθινα πολέμου), hoc maxime sibi proposuit, ut Theronis eiusque familiae laudes caneret; Horatius vero, etsi item Augustum celebraturus est, tamen complures deos et heroes enumerat atque brevi elogio ornat, nullo, ut primo obtutu videtur, alio consilio ductus, quam ut exordium presse sequatur. Neque vero temere, ut misellus poeta, sed de industria hoc fecisse putandus est. Nam cum Augustum cum diis potentissimis, cum heroibus, cum viris de republica Romana optime meritis consociat, gloria eius clarior exsistit atque illustrior. Sed ne longius a re proposita declinemus neve quaestione implicemur, quae homines doctos usque ad hoc tempus vehementer torsit et nondum absoluta est, eo revertamur, unde digressi sumus. Diximus igitur, Horatium praeter principium, cui dispositio carminis accommodata sit, a Pindaro nihil habere. Quamquam poetae nostro in precatione pro Augusti salute facta eiusdem carminis (Ol. II) versus inde a versu 12. (ἀλλ' ὦ Κρόνιε παῖ 'Ρέας, ἕδος 'Ολύμπου νέμων — ἀέθλων τε χορυφὰν πόρον τ' 'Αλφεοῦ, ἰανθεὶς ἀοιδαῖς — εὔφρων ἄρουραν ἔτι πατρίαν σφίσιν χόμισον — λοιπῷ γένει) obversatos esse Arnoldum haud iniuria affirmare puto neque infitias eo fieri potuisse, ut Horatius ad Pindari exemplum carmen ita disponere in animo haberet, ut strophae, antistrophae, epodi instar ternae strophae artissime inter se cohaererent (cfr. Christ, Metrik der Griechen und Römer p. 639; Keller, Epilegomena zu Horaz ad carm. I, 12; Hermes XVII, p. 513 sq.). Alii nescio an exordio ipso in errorem inducti sint, argumenti quoque similitudinem suspicati, ut hanc opinionem probarent, obnixe contenderunt (cfr. Kiessling, Philologische Untersuchungen II, p. 99 sq., cui recte adversari mihi videtur Pluess, Horazstudien p. 78 sq.). Huius vero convenientiae ne tenuissimum quidem vestigium invenio. Lustres velim, quae sententia summa carmini Pindarico subiecta sit. Pindarus et victoria Theronis, qui paullo ante bello intestino afflictatus erat (cfr. Boeckh et Dissen ad Ol. II), et maiorum sorte ostendere studet, „non si male nunc, et olim sic fore,“ sed res adversas prospera fortuna compensari. Horatius vero nihil aliud spectare mihi videtur, nisi ut Augusti recenti victoria clari potentiam et maxima de re publica merita illustret atque veluti Iovem inter deos, sic Augustum a Iove secundum inter Romanos summum esse doceat.

Reliquum est, ut exponamus, qua causa ductum Horatium exordium a Pindaro in carmen suum transtulisse arbitremur. Carminis originem hancce fuisse cogitatione fingimus. Horatius gravi quodam — sive recenti victoria Augusti sive alia re iucunda — eventu laetus et magnum aliquod argumentum ad Caesaris honorem canendi studio incensus, cum sublimem sententiam animo concepisset, ut „simul legentium animos delectaret et carmini ipsi maiorem gravitatem conciliaret,“ exordium illud Pindaricum sententiae suae conveniens ut ἔπος πτερόεν mutuatus est.

Videamus nunc, quae sententiae quaeque vivendi praecepta per Horatii carmina dispersa Pindarum redolere videantur. Qua in re ne nimii simus neve quoque loco imitationem odoremur, vehementer cavendum est. Hoc quidem certis evincitur argumentis Horatium — id quod optimi cuiusque et vere poetae est — saepissime bonos scriptores imitatione expressisse et insignem aliquam alius poetae sententiam suam fecisse, hoc fortasse animo, ut doctrinae elegantiam scientiaeque amplitudinem prae se ferret et carminis dignitatem augeret. Sed quid magis perversum esse possit quam, ubicunque in duorum poetarum similes quasdam sententias incurramus, ibi alterum ab altero pendere confestim divinare? Contra Horatium non eum intellegamus, qui singula verba sententiasve apis Matinae more modoque anxie colligeret et coacervaret, sed qui ex diurna nocturnaque auctorum praestantissimorum lectione eorum cogitationibus mentisque sensis imbutus, cum ipse in carminibus condendis operam poneret, modo sciens modo insciens ea, quae alii excogitarunt, in sua carmina transferret. Difficillimum igitur et diuturni studii est, praesertim cum apud diversos poetas eandem

sententiam expressam saepe videamus, liquido affirmare, Horatium vel in hac vel in illa re exemplum certum respexisse. Qua de causa multis locis aut in medio relinquere, utrum poeta noster aliorum vestigia presserit necne, aut Horatium sui iudicii esse putare mea quidem sententia praestat.

Iam dicta, quae Horatium a Pindaro mutuatum esse suspicamur, componimus.

Carm. I, 3, 38: Coelum ipsum petimus stultitia (cfr. carm. III, 2, 22: Virtus recludens immeritis mori — Coelum negata tentat iter via): Pyth. X, 27: ὁ χάλκεος οὐρανὸς οὐ ποτάμβατος αὐτῷ.

Carm. I, 4, 13: Pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas — Regumque turres: Nem. VII, 19: ἀφνεὸς πενιχρός τε θανάτου πόρον σάμα νέονται, et v. 30: ἀλλὰ κοινὸν γὰρ ἔρχεται — κῦμ' Ἀΐδα, πέσε δ' ἀδόκητον ἐν καὶ δοκέοντα. Cfr. carm. II, 3, 21; 18, 32.

Carm. II, 2, 25: Omnes eodem cogimur: Isth. VII, 42: θνάσκομεν γὰρ ὁμῶς ἅπαντες.

Carm. I, 7, 15: Albus ut obscuro detergit nubila caelo — Saepe Notus etc: Pyth. III, 103 χρὴ πρὸς μακάρων — τυγχάνοντ' εὖ πασχέμεν· ἄλλοτε δ' ἀλλοῖαι πνοιαί — ὑψιπετᾶν ἀνέμων.

Carm. I, 9, 15: Nec dulces amores — Sperne puer neque tu choreas, — Donec virenti canities abest — Morosa: frgm. 123, 1 χρῆν μὲν κατὰ καιρὸν ἐρώτων δρέπεσθαι, θυμέ, σὺν ἁλικίᾳ.

Carm. I, 24, 19. 20 Durum, sed levius fit patientia — Quidquid corrigere est nefas: Pyth. II, 93 φέρειν δ' ἐλαφρῶς ἐπαυχένιον λαβόντα ζυγὸν — ἀρήγει. Haec trita atque usitata Graecorum sententia est et multis, quos Garcke p. 90 collegit, locis celebrata. Difficillimum igitur est diiudicare, quemnam Horatius auctorem secutus sit. Garcke Euripidem eius animo obversatum esse mavult, equidem Horatium Pindarum effinxisse puto.

Carm. I, 35, 26 Diffugiunt cadis — Cum faece siccatis amici — Ferre iugum pariter dolosi: Nem. X, 78 παῦροι δ' ἐν πόνῳ πιστοὶ βροτῶν — καμάτων μεταλαμβάνειν.

Carm. III, 3, 48 Vos (Camenae) lene consilium et datis et dato — Gaudetis almae: Sententiam Horatius duxit e Pyth. V, 65 δίδωσί τε (sc. Ἀπόλλων) Μοῖσαν οἷς ἂν ἐθέλῃ, ἀπόλεμον ἀγαγὼν — ἐς πραπίδας εὐνομίαν, potestate Apollini a Pindaro data ad Musas translata.

Carm. III, 4, 65 Vis consili expers mole ruit sua: Pyth. VIII, 15 βία δὲ καὶ μεγάλαυχον ἔσφαλεν ἐν χρόνῳ.

Carm. III, 8, 27 Dona praesentis cape laetus horae, — Linque severa: Pyth. X, 61 τῶν δ' ἕκαστος ὀρούει, τυχών κεν ἁρπαλέαν σχέθοι φροντίδα τὰν παρ ποδός, et Isth. VII, 12 ἀλλ' ἐμ' οὐ δεῖμα μὲν παροιχόμενον — καρτερᾶν ἔπαυσε μεριμνᾶν· τὸ δὲ πρὸ ποδὸς ἄρειον (ὁρᾶν) ἀεὶ χρῆμα.

Carm. III, 29, 29 Prudens futuri temporis exitum — Caliginosa nocte premit deus etc: Ol. II, 30 ἤτοι βροτῶν γε κέκριται — πεῖρας οὔ τι θανάτου — οὐδ' ἁσύχιμον ἁμέραν ὁπότε παῖδ' ἀελίου — ἀτειρεῖ σὺν ἀγαθῷ τελευτάσομεν· ῥοαὶ δ' ἄλλοτ' ἄλλαι εὐθυμιᾶν τε μετὰ καὶ πόνων ἐς ἄνδρας ἔβαν. Pyth. III, 22 ἔστι δὲ φῦλον ἐν ἀνθρώποισι ματαιότατον, — ὅστις αἰσχύνων ἐπιχώρια παπταίνει τὰ πόρσω, — μεταμώνια θηρεύων ἀκράντοις ἐλπίσιν; v. 59 χρὴ τὰ ἐοικότα παρ δαιμόνων μαστευέμεν θναταῖς φρασίν, — γνόντα τὸ παρ ποδός, οἵας εἰμὲν αἴσας; Ol. XII, 9 τῶν δὲ μελλόντων τετύφλωνται φραδαί; Nem. XI, 46 προμαθείας δ' ἀπόκεινται ῥοαί. Cfr. carm. IV, 11, 20.

Carm. III, 29, 45 Non tamen irritum — Quodcunque retro est, efficiet neque — Diffinget infectumque reddet — Quod fugiens semel hora vexit: Ol. II, 15 τῶν τε πεπραγμένων . . . . . . ἀποίητον οὐδ' ἂν χρόνος ὁ πάντων πατὴρ δύναιτο θέμεν ἔργων θέλος.

Carm. IV, 2, 23 Moresque — Aureos educit in astra nigroque — Invidet Orco (i. e. poeta): Ol. VIII, 77 ἔστι δὲ καί τι θανόντεσσιν μέρος — καν νόμον ἐρδόμενον· κατακρύπτει δ' οὐ κόνις συγγόνων κεδνὰν χάριν.

Carm. IV, 7, 7 Immortalia ne speres: Pyth. III, 61 μή, φίλα ψυχά, βίον ἀθάνατον σπεῦδε; Isth. V, 16 θνατὰ θνατοῖσι πρέπει.

Carm. IV, 8, 20 Neque — Si chartae sileant, quod bene feceris, — Mercedem tuleris (cfr. carm. IV, 9, 26) frgm. 121 θνάσκει δὲ σιγαθὲν καλὸν ἔργον. Nem. VII, 12 ταὶ μεγάλαι γὰρ ἀλκαὶ — σκότον πολὺν ὕμνων ἔχοντι δεόμεναι. Cfr. Ol. X, 91 sqq.

Carm. IV, 8, 25 Ereptum Stygiis fluctibus Aeacum — Virtus et favor et lingua potentium — Vatum divitibus consecrat insulis: Nem. VII, 30 ἀλλὰ κοινὸν γὰρ ἔρχεται κῦμ' Ἀΐδα, πέσε δ' ἀδόκητον ἐν καὶ δοκέοντα· τιμὰ δὲ γίγνεται ὧν θεὸς ἁβρὸν αὔξῃ λόγον.

Carm. IV, 11, 29 Semper ut te digna sequare etc.: Pyth. IV, 90 καὶ μὰν Τιτυὸν βέλος Ἀρτέμιδος θήρευσε κραιπνόν, ... ὄφρα τις τῶν ἐν δυνατῷ φιλοτάτων ἐπιψαύειν ἔραται.

Epist. I, 10, 24 Naturam expellas furca, tamen usque recurret: Ol. XIII, 13 ἄμαχον δὲ κρύψαι τὸ συγγενὲς ἦθος.

Epist. I, 18, 16 Dulcis inexpertis cultura potentis amici, Expertus metuit: frgm. 110 γλυκὺ δ' ἀπείροισι πόλεμος· πεπειραμένων δέ τις ταρβεῖ προσιόντα νιν καρδίᾳ περισσῶς.

His absolutis comparationes colligimus, quas Horatius sine dubio a Pindaro sumpsit.

Carm. I, 12, 45 Crescit occulto velut arbor aevo — Fama Marcelli: Nem. VIII, 40 αὔξεται δ' ἀρετὰ χλωραῖς ἐέρσαις ὡς ὅτε δένδρεον σοφοῖς ἀνδρῶν ἀερθεῖσ' ἐν δικαίοις τε πρὸς ὑγρὸν αἰθέρα.

Carm. I, 19, 5 (Urit me) Glycerae nitor Splendentis Pario marmore purius: Nem. IV, 80 μάτρῳ μ' ἔτι Καλλικλεῖ κελεύεις στάλαν θέμεν Παρίου λίθου λευκοτέραν. Veluti Pindarus hoc loco et Nem. VIII, 46. 47 hymnum cum columna contendit, sic Horatius carm. III, 30 (cfr. etiam IV, 29) carmina a se composita cum monumento illum certe respiciens comparat, se ipsum vero ad Pindari exemplum (Nem. V, 1 sqq.) cum statuarum artifice (carm. IV, 8).

Carm. IV, 2, 5 Monte decurrens etc. Sermonis Pindarici ubertatem atque copiam fluminis super ripas effusi imagine celebrat, comparatione certe a Pindaro ducta: Ol. X, 11 νῦν ψᾶφον ἑλισσομέναν ὁπᾷ κῦμα κατακλύσσει ῥέον; Nem. VII, 12 ῥοαῖσι Μοισᾶν; v. 19 ἐπέων ῥοαῖσιν.

Carm. IV, 2, 27 Ego apis Matinae — More modoque — Grata carpentis thyma . . . operosa parvus — Carmina fingo: Pyth. X, 53 ἐγκωμίων γὰρ ἄωτος ὕμνων ἐπ' ἄλλοτ' ἄλλον ὥτε μέλισσα θύνει λόγον.

Neque vero dictis et comparationibus a Pindaro prolatis solis carmina sua Horatius distinxit, sed etiam sermonem Latinum magis quam ceteri Augusteae aetatis poetae ad Graecorum elegantiam et dicendi consuetudinem conformavit atque perpolivit et vocabulis locutionibusque antea tali significatione inusitatis tanto artificio locupletavit, ut Quintilianus (X, 1, 96) variis figuris et verbis felicissime audacem eum merito diceret. Qua in re Pindari poemata magno emolumento ei fuisse cum per se consentaneum sit, tum ex sequentibus apparebit.

Carm. I, 1, 5 Palmaque nobilis — Terrarum dominos evehit ad deos: Isth. II, 25 ἀδυπνόῳ τέ νιν ἀσπάζοντο φωνᾷ — χρυσέας ἐν γούνασιν πίτνοντα Νίκας — γαῖαν ἀνὰ σφετέραν, τὰν δὴ καλέοισιν Ὀλυμπίου Διός — ἄλσος· ἵν' ἀθανάτοις Αἰνησιδάμου — παῖδες ἐν τιμαῖς ἔμιχθεν. Nem. V, 41 τὺ δ' Αἰγίνᾳ θεοῦ, Εὐθύμενες, Νίκας ἐν ἀγκώνεσσι πίτνων ποικίλων ἔψαυσας ὕμνων.

Carm. I, 3, 25 Audax omnia perpeti gens humana: Fortasse Horatius modum dicendi ad illud Pindari, frgm. 29, 4 τὸ πάντολμον σθένος (Ἡρακλέος) effinxit.

Carm. I, 3, 9 Illi robur et aes triplex — Circa pectus erat: frgm. 123, 3 sq. ἐξ ἀδάμαντος ἢ σιδάρου κεχάλκευται μέλαιναν καρδίαν. Sed cfr. Garcke p. 10.

Carm. III, 24, 5 Si figit adamantinos — Summis verticibus dira Necessitas — Clavos: Pyth. IV, 71 τίς δὲ κίνδυνος κρατεροῖς ἀδάμαντος δῆσεν ἅλοις; cfr. carm. I, 35, 17 sqq. et Pind. frgm. 207 σφυρηλάτοις (δεσμοῖς) ἀνάγκας.

Carm. II, 17, 4 Columen rerum (Maecenas): Ol. II, 81 ὃς Ἕκτορ' ἔσφαλε, Τροίας — ἄμαχον ἀστραβῆ κίονα.

Carm. IV, 3, 3 Labor Isthmius (cfr. carm. IV, 9, 32): Isth. III, 17 διέστειχον τετραορίαν πόνοις; Pyth. V, 47 κάματος Ol. X, 9 μόχθος.

Carm. IV, 9, 4 Verba loquor socianda chordis: Nem. IV, 5 εὐλογία φόρμιγγι συνάορος. Praeterea verba pro carminibus Horatius simpliciter posuit veluti Pindarus λόγοι Pyth. V, 48; ῥῆμα Nem, IV,6

Epist. II, 1, 176 An recte stet fabula talo: Isth. VII, 12 ἢ Δωρίδ' ἀποικίαν . . . ὀρθῷ — ἔστασας ἐπὶ σφυρῷ.

Carm. I, 15, 3 Obruit otio — Ventos. Non sine veritatis specie comparant frgm. 240 μὴ σιγᾷ βρεχέσθω; Isth. V, 51 καύχημα κατάβρεχε σιγᾷ. Cfr. Garcke p. 40.

Carm. I, 7, 7 Undique decerptam fronti praeponere olivam: Quemadmodum verbum δρέπειν apud Pindarum saepius usurpatur, sic eadem notione hoc loco verbum decerpendi, cfr. Nem. II, 9 Ἰσθμιάδων δρέπεσθαι κάλλιστον ἄωτον; Pyth. I, 48 τιμὰν οἵαν οὔτις Ἑλλάνων δρέπει; Pyth. IV, 130 δραπών . . . ἱερὸν εὖ ζωᾶς ἄωτον. Cfr. praeterea Ol. I, 13; frgm. 209.

Carm. I, 26, 7 Necte flores, — Necte meo Lamiae coronam: Pyth. XII, 5 δέξαι στεφάνωμα τόδε; Nem. VII, 77 εἴρειν στεφάνους ἐλαφρόν· ἀνβάλεο, Μοῖσα Ol. I, 100 ἐμὲ δὲ στεφανῶσαι κεῖνον . . . . χρή; VI, 86 ἀνδράσιν αἰχματαῖσι πλέκων ποικίλον ὕμνον; IX, 48 ἄνθεα ὕμνων.

Carm. I, 26, 9 Nil sine te mei — Prosunt honores: Nem. IX, 10 ἐπασκήσω κλυταῖς ἥρωα τιμαῖς; Isth. IV, 38 ἀλλ' Ὅμηρός τοι τετίμακεν δι' ἀνθρώπων; cfr. carm. IV, 9, 30.

Carm. I, 32, 14 (testudo) laborum Dulce lenimen: Isth. VIII (VII), 1: Κλεάνδρῳ τις ἁλικίᾳ τε λύτρον εὔδοξον καμάτων — — ἀνεγειρέτω κῶμον, Ἰσθμιάδος τε νίκας ἄποινα etc. Pyth. V, 106 τὸ καλλίνικον λυτήριον δαπανᾶν — μέλος χαρίεν.

Carm. II, 10, 19 Suscitat Musam (Apollo): Ol. IX, 47 ἔγειρ' ἐπέων σφιν οἶμον λιγύν; Nem. X, 21 ἀλλ' ὅμως εὔχορδον ἔγειρε λύραν; Isth. VIII, (VII), 2.

Carm. IV, 3, 18 Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas: Nem. V, 24 φόρμιγγ' Ἀπόλλων . . . . χρυσέῳ πλάκτρῳ διώκων; Isth. V, 27 ἔν τε φορμίγγεσσιν ἐν αὐλῶν τε παμφώνοις ὁμοκλαῖς.

Carm. IV, 6, 26 (Phoebe) . . . Dauniae defende decus Camenae: Ol. VI, 105 ἐμῶν ὕμνων δὲ δέξ' εὐτερπὲς ἄνθος.

Epist. I, 1, 60 Hic murus aeneus esto: frgm. 232 τὸ πεπρωμένον οὐ πῦρ, οὐ σιδάρεον σχήσει τεῖχος.

His, quos modo attuli, locis Horatium ex Pindaro quaestum fecisse mihi persuasum est; utrum vero aliis quoque, quos e vestigio ascribam, Pindari vestigiis ingrediatur, pro certo non affirmaverim. Nam „saepe alicuius vel vocabuli vel locutionis usus tam late patet per utramque linguam, ut, ubi tale quid occurrit, vix liceat affirmari, illum locum ad certum exemplum Graecum expressum esse.“

Carm. I, 10, 11 Viduus pharetra, IV, 2, 44 forumque litibus orbum: Isth. IV, 14 ὀρφανοὺς ὕβριος.

Carm. IV, 14, 17 Spectandus in certamine Martio: Isth. VI, 53 Αἴαντα, λαῶν ἐν πόνοις ἔκπαγλον Ἐνυαλίου.

Epist. I, 2, 22 adversis rerum immersabilis undis: Pyth. II, 80 ἀβάπτιστός εἰμι, φελλὸς ὣς ὑπὲρ ἕρκος ἅλμας.

Praeterea epitheta quoque et res attributas e Pindari verborum copia arcessivit et alias simpliciter reddidit, alias per analogiam formavit. Haec plerumque ad poesim spectant aut e rerum natura petita sunt.

Carm. I, 2, 2 Pater et rubente — Dextera sacras iaculatus arces: Ol. IX, 6 Δία τε φοινικοστερόπαν; v. 42 αἰολοβρόντα Διός; Ol. X, (XI), 80 πυρπάλαμον βέλος — ὀρσικτύπου Διός.

Carm. I, 3, 40 Iracunda Iovem ponere fulmina: Nem. VI, 53 ἔγχεος ζακότοιο.

Carm. I, 12, 13 Quod prius dicam solitis parentis — Laudibus: Solitae Iovis laudes vocantur, quippe a quibus poetae canendi exordium faciant, Nem. II, 1 ὅθεν περ καὶ Ὁμηρίδαι — ῥαπτῶν ἐπέων τἀπόλλ' ἀοιδοί — ἄρχονται, Διὸς ἐκ προοιμίου; cfr. Ol. II, 3.

Carm. III, 24, 44 Virtutis — arduae: Ol. V, 1 ὑψηλὰν ἀρετὰν; Nem. I, 34 ἐν κορυφαῖς ἀρετᾶν μεγάλαις; Isth. V, 45 ὑψηλαῖς ἀρεταῖς.

Carm. III, 17, 16 Cum famulis operum solutis: Pyth. IV, 41 λυσιπόνοις θεραπόντεσσιν.

Carm. I, 28, 1 Numeroque carentis arenae: Ol. II, 98 ψάμμος ἀριθμὸν περιπέφευγεν.

Carm. II, 6, 1 Septimi Gades aditure mecum: Nem. IV, 69 Γαδείρων τὸ πρὸς ζόφον οὐ περατόν.

Carm. I, 14, 11 Pontica pinus — Silvae filia: Ol. XI, 2 ὑδάτων ὀμβρίων, παίδων νεφέλας.

Carm. IV, 4, 1 Fulminis alitem, Cui rex deorum regnum in aves vagas permisit: Pyth. I, 6 εὕδει δ' ἀνὰ σκάπτῳ Διὸς αἰετὸς . . . . . ἀρχὸς οἰωνῶν; Ol. XIII, 21 οἰωνῶν βασιλέα.

Carm. I, 12, 27 (cfr. I, 3, 2; IV, 18, 31) Quorum (Tyndaridarum) simul alba nautis — Stella refulsit: Pyth. I, 66 λευκοπώλων Τυνδαριδᾶν.

Carm. I, 3, 34 Vacuum aera: Ol. I, 6 ἐρήμας δι' αἰθέρος.

Carm. I, 9, 4 Geluque —Flumina constiterint acuto: Pyth, I, 20 χιόνος ὀξείας τιθήνα.

Carm. II, 22, 2 Liquidum aera: Nem. VIII, 41 πρὸς ὑγρὸν αἰθέρα.

Carm IV. 4, 58 Nigrae feraci frondis in Algido et carm. IV, 12, 11 Nigri colles: Pyth. I, 27 Αἴτνας ἐν μελαμφύλλοις . . . . κορυφαῖς; Ol. VI, 40 λόχμας ὑπὸ κυανέας.

Carm. I, 7, 9 Aptum equis (Argos): Ol. IV, 16 τροφαῖς ἑτοῖμον ἵππων.

Carm. II, 14, 16 Ater flumine languido Cocytus: frgm. 130 Bgk. p. 426 ἔνθεν τὸ ἄπειρον ἐρεύγονται σκότον — βληχροὶ δνοφερᾶς νυκτὸς ποταμοί.

Carm. III, 4, 75 Nec peredit — Impositam celer ignis Aetnam: Pyth. III, 40 σέλας . . . . λάβρον Ἁφαίστου.

Carm. I, 12. 1 Lyra vel acri tibia Isth. V, 27 ἔν τε φορμίγγεσσιν αὐλῶν τε παμφωνοῖς ὁμοκλαῖς; Ol. III, 8 φόρμιγγά τε ποικιλόγαρυν καὶ βοὰν αὐλῶν; Pyth. X, 39 λυρᾶν τε βοαὶ καναχαί τ' αὐλῶν.

Carm. I, 17, 10 Dulci fistula et carm. III, 11, 5 testudo loquax: Ol. X, 93 ἁδυεπὴς λύρα; Ol. VI, 96 ἀδύλογοι λύραι; cfr. Ol. VII, 11; Nem. IV, 45.

Carm. III, 7, 30 Sub cantu querulae tibiae: Pyth. XII, 8 Γοργόνων οὔλιον θρῆνον.

Carm. IV. 3, 17 O testudinis aureae: Pyth. I, 1 Χρυσέα φόρμιγξ.

Carm. II, 13, 26 Aureo . . . . plectro: Nem. V, 24 χρυσέῳ πλάκτρῳ.

Arnold praeterea carm. III, 27, 23 aequoris nigri fremitus et Ol. IX, 49 λέγοντι μὰν χθόνα μὲν κατακλύσαι μέλαιναν ὕδατος σθένος falso inter se comparat. Nam apud Pindarum non ὕδατος σθένος, sed χθὼν μέλαινα vocatur.

Iam ad aliud imitationis genus pergimus, quod est de prosopopoeia. Horatius enim in describendis deorum superorum et aliorum numinum commenticiorum personis ac proprietatibus saepe Pindarum secutus est. Hinc Pallas, quae proximos Iovi honores occupat (carm. I, 12, 19 coll. Pind. frgm. 146 πῦρ πνέοντος ἅ τε κεραυνοῦ ἄγχιστα δεξιὰν κατὰ χεῖρα πατρὸς ἵζεαι), Mercurius, qui feros cultus hominum formavit decorae more palaestrae (I, 10, 1 sq. coll. Ol. VI, 79 Ἑρμᾶν . . . . ὃς ἀγῶνας ἔχει μοῖραν τε ἀέθλων; Pyth. II, 10 ἐναγώνιος Ἑρμᾶς; Isth, I, 60 ἀγώνιος Ἑρμᾶς; cfr. Garcke ad carm. I, 10), Diana fluviis laeta (carm. I, 21, 5 coll. Pyth. II, 7 ποταμίας . . . . Ἀρτέμιδος; cfr. Dissen ad h. l.), Phoebus, doctor argutae fidicen Thaliae (carm. IV, 6, 25 coll. Nem. V, 22 ἄειδ' ἐν Παλίῳ Μοισᾶν ὁ κάλλιστος χορός, ἐν δὲ μέσσαις φόρμιγγ' Ἀπόλλων ἑπτάγλωσσον χρυσέῳ πλάκτρῳ διώκων ἁγεῖτο παντοίων νόμων), qui rore puro Castaliae lavit crines solutos et Lyciae Deloque imperat (carm. III. 4, 61 sq. coll. Pyth. I, 39 Λύκιε καὶ Δάλοι' ἀνάσσων Φοῖβε, Παρνασοῦ τε κράναν Κασταλίαν φιλέων et Isth. VI, 64 ἄρδοντι καλλίστᾳ δρόσῳ; cfr. carm. IV, 6, 26). Fortasse Bacchum quoque Horatius, prope funeratus arboris ictu, Pindari auctoritate ductus ut arborum deum finxit (carm. III, 8, 6 coll. Pind. frgm. 153 Δενδρέων δὲ νομὸν πολυγαθὴς Διόνυσος αὐξάνοι, ἁγνὸν φέγγος ὀπώρας; cfr. Bergk, p. 433), quamquam concedendum est, poetam nostrum, cum Liber iam a veteribus Italis

deus fertilitatis haberetur, ex gentis suae religione illam dei potestatem repetere potuisse. Deinde Venerem cum Nymphis Gratiisque choros ducentem vatem Venusinum ex imagine a Pindaro cogitatione depicta fecisse (carm. I, 4, 5 coll. Ol. XIV, 8 οὐδὲ γὰρ θεμερᾶν θεοὶ Χαρίτων ἄτερ κοιρανέοντι χορούς) et Nympharum cum Satyris saltationes per analogiam commentum esse (carm. I, 1, 31 coll. Pyth. III, 77 Ματρί, τὰν κοῦραι παῤ ἐμὸν πρόθυρον σὺν Πανὶ μέλπονται θαμά) probabiliter erui posse existimo. Certe vero Musae antra obtinere Pindaro auctore ab Horatio dicuntur (carm. III, 3, 37 coll. Pyth. VI, 49 ἐν μυχοῖσι Πιερίδων, cfr. Arnold, Diss. inaug., Quaestiones de Horatio Graecorum imitatore, Hal. 1845 p. 22). Quibus commenticiis si addideris Pudoris, Iustitiae, Fidei, Veritatis vinculum sororium (carm. I, 24, 5 coll. Ol. XIII, 6 Εὐνομία κασίγνητά τε Δίκα καὶ ὁμότροφος Εἰράνα), iam habebis deorum aliorumque confictiones, quas Pindarum imitatus effinxit.

Hinc deducimur ad extremam libelli nostri partem. Diximus, Horatium fabularum magnam copiam Pindaro debere. Quam sententiam vix impugnabit, qui utriusque poetae carmina attento animo lectitaverit et mutuam inter eos necessitudinem perspexerit. Verumtamen qui sibi proposuit, ut expiscaretur, unde unam alteramve fabulam Horatius deprompserit, ei summam difficultatem haec quaestio affert duabus potissimum de causis. Atque primum quidem Graeci et Romani praecipue Augusti temporibus cotidiano fere usu et litterarum commercio tam arte inter se coniuncti erant, ut magnum illorum fabularum numerum apud hos pervulgatum et in omnium ore fuisse par sit. Deinde cum multae fabulae non apud unum, sed apud diversos scriptores Graecos legantur cumque Horatius totum fere litterarum Graecarum orbem animo peragraverit (cfr. Arnold, Über die griech. Studien des Horaz), saepe dubii haeremus, a quonam poeta Romanus pendeat. Desperandum igitur multis locis esset nec facile certi quidquam statui posset, nisi interdum peropportune accideret, ut manifestis indiciis iuvaremur. Saepe enim fit, ut, ubi apud duos vel plures poetas eandem fabulam invenimus, alius aliter eam tractet et aut pro consilio aliqua ex parte commutet aut paucas notas eligat aut nihil intactum relinquat aut diversam famam sequatur. Quotiens tales discrepantiae occurrunt, ansa ad iudicium faciendum nobis praebetur. Sic, ut uno perfungar exemplo, Bellerophontis fabula et ab Homero (Il. VI, 155 sq.) et a Pindaro (Ol. XIII, 63 sq.; Isth. VII, 44 sq.) narratur. Sed si utriusque poetae narrationem paullo accuratius inspexeris, eos inter se valde videbis dissidere. Ille enim memoriae tradidit, Anteam, Proeti coniugem, cum Bellerophontem, ut sibi morigeraretur, inducere frustra studuisset, hunc apud maritum criminatam, quod vim sibi inferre voluisset, eumque adhortatam esse, ut illum interficeret; sed Proetum Bellerophontis sortem miseritum eum in Lyciam ad socerum misisse, ut ibi interiret. Qua in terra Bellerophontem Chimaeram occidisse, Solymos et Amazones superasse, alia pericula feliciter exhausisse. Deinde Lyciorum regis filiam in matrimonium duxisse et tres liberos ex ea procreasse. Ab hac fabulae expositione Pindari multum differt. Ut omittam, Anteae apud hunc nullam mentionem fieri, Bellerophontem Pegasi auxilio Chimaeram interemisse et Solymos Amazonesque vicisse ille auctor est; postea cum in caelum ipsum ascendere conatus esset, a Pegaso deiectum esse. Iam si investigaverimus, utrum Horatius secutus sit (cfr. carm. III, 7, 13-16; IV, 11, 25 sq.; III, 12, 8), eum utriusque poetae narrationem ad suum usum transtulisse elucebit. Nam et Anteae insidias tangit, quas Pindarus ignorat, et Bellerophontem Chimaeram Pegasi volucris ope occidisse et postea ab eo deiectum esse narrat, id quod apud Homerum non legitur. Videmus igitur, Horatium fabulam magnam partem ex Pindaro sumpsisse. Lyncei, cuius acerrima oculorum acies erat (Sat. I, 2, 90; Epist. I, 1, 28 coll. Nem. X, 61), Pelei et Hypermnestrae (eo nomine a Pindaro, ab aliis Astydameia appellatur) (carm. III, 7, 17 coll. Nem. VI, 56; V, 26 sq.), Porphyrionis, regis Gigantum (carm. III, 54 coll. Pyth. VIII, 17, 18), Typhonis, cui Aetna imposita est (carm. III, 4, 53 (75) coll. Pyth. I, 15 sq.), Iasonis (carm. IV, 4, 63; Epod. 3, 9 sqq. coll. Pyth. IV), Ixionis (carm. III, 11, 21 coll. Pyth. II, 21 sq.) fabulas ex eodem fonte fluxisse verisimillimum est. Praeterea quales Pindarus describit, tales adumbrat Horatius: superbum Tantalum, convivam deorum (carm. II, 18, 36; I, 28, 7 coll.

Ol, I, 54 sq.), incontinentem Tityum (carm. III, 4, 77 coll. Pyth. IV, 90), Cerberum centicipitem (carm. II, 13, 34; III, 11, 16. 17 coll. Schol. ad Iliad. θ, 368 cfr. Bgk. p. 461), Pollucem et Herculem, plurimos labores constanter perpessos et in caelum receptos (carm. III, 3, 9; Epist. II, 1, 5 sq. coll. Nem. X, 49 sqq; carm. III, 3, 9, IV, 8, 30 coll. Isth. IV (III), 52 sq.), Phoebum, muri Troiani auctorem (carm. III, 3, 65 coll. Ol. VIII, 31), Hyperboreos campos (carm II, 20, 16 coll. Ol. III, 16; Pyth. X, 30 sq.), fortasse Aeacum quoque fluctibus Stygiis ereptum (carm. IV, 8, 25 coll. Isth. VIII (VII), 23 sq.). De Hypermnestra fabulae, quam Horatius (carm. III. 11, 33 sq) sine magistro uberius exponit, fundamentum Nem. X, 6 inveniri puto. His omnibus addunt Nestoris Antilochique historiam (carm. II, 9, 13 coll. Pyth. VI, 28 sq.); sed de his haud scio an cognoverit e carminibus Homeri, qui non uno loco eos celebravit. Magis probabiliter Arnold coniecit, Horatium Gigantum cum Lapithis (carm. IV, 2, 13 coll frgm. 166) et Iovis cum Gigantibus et Titanibus pugnam (carm. II, 19, 21 sq ; III, 4, 49 sq. coll. frgm. 162; Pyth. VIII, 17, 18; alias) a Pindaro doctum esse.

Fabulas vero Horatius non hoc animo carminibus intexuit, ut doctrinae speciem prae se ferret, sed — id quod Arnold (Diss. inaug. p. 13 sq.) probare studuit — ut sententiis suis maiorem fidem adderet. Atque cum idem Arnold (Über die griech. Studien des Horaz II, 14 sq.) illum usum, delectum, tractationem rerum mythicarum a Pindaro didicisse contendat, primum exponemus, quo consilio quaque ratione hic fabulas in carminibus suis adhibuerit, deinde num Horatius eandem viam ingressus sit quaeremus, tum quibus argumentis confisi illam Arnoldi sententiam veram esse putemus explicabimus.

Carmina autem epinicia ita sunt comparata, ut, etsi victoriae ludicrae laudem carminis fundamentum esse consentaneum sit, tamen aliae quoque et animi et corporis victoris virtutes, quibus victoria parta est, celebrentur. Praeterea quoniam victoria non praestantia victoris sola reportata putabatur, sed etiam ad urbem, cuius civis erat, referebatur, his quoque laudem diserte tribui par est. Sed tantum abest, ut his solis praedicandis poeta substiterit, ut occasione data pietatem, moderationem, iustitiam aliaque bene honesteque vivendi praecepta commendaverit, quibus qui operam det, summa felicitate esse fruiturum, malos vero iustam poenam manere. Atque ut harum virtutum excellentiam demonstret neve talibus adhortationibus et generalibus, quas profert, sententiis vis auctoritasque desit, fabulis vel a diis vel ab heroibus vel ex antiqua aut domestica aut aliarum civitatum memoria petitis narrationem illustrat. Quo artificio poetam felicissime usum esse nemo negabit. Fabulae enim, ut ait Dissen, de diis et heroibus continent quidquid illustre, praeclarum, excellens populus Graecorum excogitaverat; hic summa exempla fortitudinis, pietatis, iustitiae, moderationis expressa sunt, hic felicitatis rarae et favoris deorum; hic scelera impiorum dignissimis poenis coercita et felicitate eximia graves calamitates videmus compensatas; in fabulis fata aeterna gentium et urbium conspicua; fabulae divinarum et humanarum rerum pulcherrima et sanctissima imago. Fabularum vero tractandarum rationem aliam esse poetae epici, aliam lyrici notum est. Nam ille nullo certo consilio ductus totam fabulam per singulas partes ne levissima quidem omittens persequitur et tamquam omnibus numeris absolvit. Hic autem cum id agat, ut non modo doceat, quid fugiendum aut petendum, quid summum bonum aut malum sit, quomodo perniciosas animi cupiditates funditus evertere possimus, sed etiam „auctoritatem rei comparatione augeat et similes status ac condiciones exemplis ex antiquitate depromptis ita illustret, ut historiae gnaris magis perspicuam rei quodammodo imaginem proponat“, in quam inspiciant tamquam in speculum ex eaque sibi sumant exemplum, alia, quae ad consilium propositum pertinent, eligit et vividissimis, ut ita dicam, coloribus depingit, alia, quae nihil ad finem suum valent, leviter tantum tangit aut omnino silentio praetermittit. Docere igitur atque demonstrare vult poeta lyricus et ad sententiam suam muniendam mythico ornatu utitur modo uberius tractato modo summis tantum lineamentis adumbrato. Quem morem cum apud poetas choricos lyricosque tum apud Pindarum pervulgatum esse quoniam satis constat et

Dissen in quaestione editioni suae praemissa subtiliter copioseque exposuit, illius carminibus perpendendis supersedere licet. Sed num Horatius fabulis eandem vim et auctoritatem attribuerit atque Pindarus videamus. Quod nulla re melius intellegitur quam nonnullorum carminum argumentis recensendis. In septimo quidem carmine libri primi Horatius Munatium Plancum hortatur, ne animum abiiciat, sed ut calamitatem patienter ferat vitaeque iucunditatibus fruatur, et Teucri patria extorris exemplo docet, homines, si tranquillitatem et hilaritatem teneant, beatos fore. C. Valgium Rufum amicum, qui ex pueri dilecti morte magnum dolorem susceperat, ut consoletur et maestitiae atque doloris finem faciendum esse moneat, ad Priamum et Nestorem senes revocat, qui caris filiis orbati luctui non semper se tradiderint, sed animos receperint (carm. II, 9). Ad constantiae virtutem Romanis commendandam Romuli splendidissimum exemplum affert, qui vel Iunone, Romanis inimicissima, sed praeclara eius virtute commota, assentiente inter deos receptus sit, et ad Pollucis Herculisque fabulam reiicit, qui post multos labores fortiter perlatos in caelum evecti sint (carm. III 3). Imagine pugnae Iovis sapientissimi et potentissimi cum Titanibus Gigantibusque, rudium et effrenatarum virium exemplis, vim consilio non temperatam caecam et ipsam sibi perniciei esse demonstrat (carm. III, 4). Lyden adamatam puellam Danaidum, quae, quod amori amore non responderent, poena gravissima affectae sint, fabula terrere et Hypermnestrae amorem et fidem pluris facientis salute exemplo animum eius mollire studet (carm. III, 11). Phyllidi, quae Telephi, adulescentis divitis et nobili genere nati, amore tenebatur, Bellerophontis, qui Chimaera occisa insolens factus in caelum ipsum ascendere conatus, sed a Pegaso humi deiectus sit et temeritatem luerit, et Phaetontis fabulis suadet, ne vanas spes animo concipiat et maiora tentet, quam quae consequi possit (carm. IV, 11). Possum exemplorum numerum adaugere, sed vel ex iis, quae attuli, elucere puto, Horatium eadem mente fabulis carmina sua exornavisse atque Pindarum.

Hoc unum addo, illam consuetudinem vel locutionibus Horatii quibusdam significari, quales sunt: scimus ut (carm. III, 4, 41), testis mearum centimanus Gyges sententiarum (ibid. v. 69), exemplum grave praebet (carm. IV, 11, 26), audiat sq. (carm. III, 11, 25). Similis loquendi ratio apud Pindarum invenitur: ἕπεται δ' ὁ λόγος εὐθρόνοις Κάδμου κούραις (Ol. II, 23), σύνδικος δ' αὐτῷ Ἰολάου τύμβος (Ol. IX, 98), ἔμαθε δὲ σαφές (Pyth. II, 25).

Alia, quae inter poetas nostros intercedit, similitudo ea est, ut, quemadmodum Pindarus, sic Horatius fabulas ut in vulgus pervagatas nunc summatim notet, nunc pluribus lineamentis exprimat, quin etiam singulas partes tam fuse tractet, ut in iis lyricae expositionis summam saepe ponat (cfr. carm. III, 3, 17; 4, 42; 11, 25; 27, 25 coll. inprimis Pyth. IV et quae Dissen de hoc more Pindari exposuit). Quid fabulae doceant, uterque raro disertis verbis indicat, sed legentibus interpretatione eruendum relinquit. Attamen et Pindarus et Horatius in fronte fabularum aut sententiam (cfr. carm. I, 3, 25 sq.; III, 3) aut factum (carm. III, 27; IV, 11, 21 sq.) ponunt, quo tota narratio referenda et cuius explicatio est (cfr. Dissen p. XLVI, sqq.).

Talibus similitudinibus ductus Horatium in his quoque rebus Pindarum imitandum sibi proposuisse arbitror. Accedit aliud quiddam, quo haec opinio confirmari videtur. Nam quod Horatius interdum (cfr. carm. I, 12, 7 sq.; III, 17, 2 sq.; IV, 4, 17 sq.) a re proposita deflexit, in eo quoque a Pindaro eum proficisci probabile est. Denique si cuius vestigiis Horatium in adhibendis, deligendis, tractandis fabulis ingressum esse sumimus, institisse putandus est Pindari, qui prae ceteris poetis lyricis incredibili acumine et iudicio subtili res mythicas suum in usum convertere sciebat.

Vidimus igitur, Horatium ex assidua Pindari lectione multum profecisse. Etiam verborum et sententiarum gravitate atque magnificentia hunc aemulatur. Qua de causa Venantius Fortunatus (V, 6, 7) Flaccum nostrum Pindaricum videtur appellasse.